② *structura 'aliquis se -it' (eodem sensu sine pron. refl. l. 43. 54, cf. fort. p. 639, 75):* CIC. *Verr. II* 4, 105 ad ea ..., quae dicturus sum, -ite vos, ... iudices. *fam.* 7, 26, 2 hic cogito commorari, quoad me -am. *al.* CAES. *Gall.* 3, 5, 3 *milites* intermitterent proelium ... seque ex labore -rent. 7, 83, 7 ex nocturno labore. BELL. *Alex.* 54, 1. NEP. *Ages.* 7, 1 post Leutricam pugnam Lacedaemonii se numquam -erunt neque pristinum imperium recuperarunt. LIV. 21, 39, 1 exercitum *Hannibalis* ... in -endo maxime sententem contracta ante mala. CELS. 4, 12, 3 ut, quo modo se quisque aeger -erit, eo sanus utatur (*e morbo ut: PLIN. nat. 26, 109 ab imbecillitate. CHIRON 407. 447 donec se -at iumentum, ab interioribus motum, [codd., del. Oder]. cf. coni. l. 35*). PLIN. *nat.* 35, 72 *Parrhasius* pinxit ... libidines eo genere petulantis ioci (loci) *s* *codd.*) se -ens. FLOR. *epit.* 4, 11, 1 *Antonius* in regio se sinu *Cleopatrae* -bat. APVL. *met.* 10, 13, 7 cum se -turi ... balneas petissent. VET. *LAT. Luc.* 9, 12 (cod. 4. *al., sim. al.*) dimitte turbam, ut ... -ant se et inveniant escas (*gr. καταλύσωσιν, cod. 2. al. et Vulg. devertant, cod. 6 requiescant*). PASS. *Theclae* Cd 5 p. 11, 27 -ite vos (*gr. p. 238, 8 ἀναπαύσασθε, Ca requiescite, Cb refrigerate*). COMM. *patr.* 4, 8 ut *monachi* -rent fatigati de itinere (*gr. Cot. p. 489^b ἀναπαύσασθαι*). *al.*

③ *structura 'res -it animantem' (sc. -it causa, instrumentum; exempla act. tantum):* CIC. *Mil.* 2 me recreat et -it Cn. Pompei ... consilium. HOR. *epist.* 1, 18, 104 me quotiens -it ... rivus. OV. *met.* 7, 818 tu, *aura*, me -isque fovesque (*cf. VITR. 1, 6, 3 lenis ... aer ... alit eos aegros et -it*). CELS. 1, 3, 9 hunc *fatigatum* -it ... frequens frictio. *al.* SEN. *epist.* 78, 4 nihil aeque ... aegrum -it atque adiuvat, quam amicorum adfectus. 117, 26 currentem ... otium *futurum non* -it. VAL. *FL.* 7, 23 insomnem lux orta -ecit amantem. QVINT. *inst.* 11, 3, 44 ars ... variandi cum ... renovat aures, tum dicentem ipsa laboris mutatione -it. *al.* VEG. *mulom.* 1, 56, 7 nimius calor licet custodiat pinguedinem et *animalia* -ere videatur, tamen ... nocet. *al.*

④ *cibo vel potu (saepe medendi causa adhibitis; cf. e. g. p. 642, 22sq. 27. 41. 46sq. 643, 19; huc alludunt e. g. p. 642, 57. 643, 25):* ① *formae pass. (etiam mediopass.):* VARRO *rust.* 3, 16, 22 *apes* coeliacas fieri atque urina pota[s] [-endas] (*Keil, -i de iis trad.*) VERG. *georg.* 3, 511 *equi aegri* -ti ardebant, *sc. vino ad curandum infuso*. LIV. 35, 30, 9 *milites* -ti et cibo sumpto et modica quiete erant (CVRT. 5, 4, 23. 7, 5, 16 nec aut c. -tus aut potu. PETRON. 111, 10 potione et c. SVET. *Claud.* 44, 3 VEG. *mil.* 3, 2, 6. RVFIN. *hist. mon.* 1, 6, 10 c. sumpto -tus est [*gr. I, 51 ἀνεκτίσαστο*]). QVINT. *inst.* 10, 5, 15 epulis (*v. l. 15*). PS. QVINT. *decl.* 8, 20 -batur miser haustibus. RVFIN. *hist. mon.* 1, 6, 8 in quo loco *monachus* -i con-

sueverat. PRVD. cath. 4, 73 nos muneribus tuis -ti, *deus* (referti var. l.). PALLAD. hist. mon. I 18, 12 p. 272^B ad satietatem potu -tus sum (cf. gr. p. 51, 2 ἠρόεσθη). 51, 2 p. 326^B ex quibus panibus viginti ... fratres usque ad satietatem -ti sunt (gr. p. 144, 20sq. φαγόντων ... εἰς κόρον). VITAE patr. Iurens. 131 qui iterato -bantur. et saepe. in imag.: HIER. tract. in Marc. p. 347, 7 (ad 8, 39) alii gustant mortem, alii vident, alii comedunt, alii saturantur, alii -untur.

② *formae act. (depon. l. 45):* ① -it, qui cibum vel potum sibi sumit: ② accedit pron. refl.: CELS. 4, 18, 5 oportet aegrum paulatim se cibo -ere. EVSTATH. Basil. hex. 9, 3, 11 ovis impendente hieme herbam carpit avidius, tamquam -ere se largius indicans (gr. p. 193^B ἐπι-σπιζόμενον). GREG. M. moral. 2, 49 simul ... se asinae cum bobus -unt (syn. pascuntur). ③ sine pron. refl. (vergit in notionem cibum vel potum sumendi; disting. cenare l. 31 [cf. p. 593, 7]; gr. resp. ἐσθίειν [φαγεῖν] l. 24. 32. al., εὐχαιρέειν l. 34): quaelibet exempla (cibum sim. indicat abl. instr. l. 37, praepos. de l. 38): VET. LAT. psalm. 103, 11 (cod. 189) -ent onagri in sitim suam (gr. προσδέξονται ... εἰς δίψαν, cod. 300 suscipient, 303. al. et Vulg. expectabant; HIER. psalt. sec. Hebr. ut ... -at onager sitim suam [ad p. 643, 50]). VEG. mil. 3, 6, 29 horā -endi ([contextu simili 4, 27, 2 eo tempore, quo sumitur cibum] item gerund.: VVLG. eccles. 10, 17 cuius terrae principes vescuntur ... ad -endum et non ad luxuriam. PS. HIER. epist. 12 Migne suppl. 2, 269 [= p. 70, 4 ed. Kalff] die ... dominica -endum est. al.). VVLG. Iudith 6, 20 expleto ieiunio -erunt. RVFIN. hist. mon. 13, 5 secundo (i. bis) -bat in septimana (-batur var. l.; gr. 15, 4 ἥσθιεν). AVG. in psalm. 122, 12 lassatus est ieiunando, -turus est; si plus -erit, inde deficit (i. ad l. 41). CASSIAN. inst. 4, 18 cunctis in commune -entibus. CASS. FEL. 58, 2 v. p. 640, 23. MAX. TAVR. 50, 1 (antea: prandes). CASSIOD. hist. 9, 38, 21 post ieiunium sine discretionem ciborum -unt (gr. Socrat. 5, 22, 39 ἀδιάφορον ἔχουσι τὴν ἐστίαν). REGVLA mag. 28, 13 quando fratres ad sextam -unt, infirmi tertia recreentur. BENED. reg. 41, 1 ad sextam -ant fratres et sera cenent. PASCHAS. verba patr. 4, 1 tempus est ..., ut -amus (-amur var. l.; gr. 4, 46 φάγομεν. postea: comedimus [gr. ἐφάγομεν]). 5, 2 abbas ... quotiens cum fratribus facta caritate -bat (respic. ἀγάπη, sc. convivium; gr. 4, 29 εὐχαιρέησε, ut loco sim. 36, 4 dum ... pro caritate -ret [gr. 15, 32; in eadem historia Vitae patr. 5, 15, 20 manducabat]). VITAE patr. 5, 15, 72 senex semel in hebdomada -ens (gr. 15, 91 ἐσθίων). VEN. FORT. vita Rade-g. 4 requirebat, quali cibo foris pauperes -issent. SACR. Gelas. 1596 (oratio ante cibum) -amus, domine, de donis et datis tuis (-amur temptavit Wilson). et saepe apud Christ. quid comedatur vel bibatur, indicatur per pron. neutr. vel enunt. secund. (subst. pro obi. positum non invenimus): AVG. in psalm. 122, 12 plus (v. l. 25). CASSIAN. inst. 4, 17 ita ut, quemadmodum vel quantum -at alius, nullus monachus invicem notet. PASCHAS. verba patr. 43, 1 cum ... neque quod operaretur haberet senex neque, quod -ret, (quo -retur var. l.; cf. gr. 14, 25 μήτε τὰ πρὸς τὴν τροφήν ἀναγκαῖα [sc. ἔχων]). 93, 11 l. 35 cibum, (quod -remur, excoxit (quo -remur [vel -rentur] var. ll.; aliter gr. 20, 3 l. 39sq. ἐποίησε μικρὸν ἔψημα κτλ.). 96, 4 quicquid ... positum esset in mensa, -bant (cf. gr. 15, 12 l. 32 πάντων ἡσθίονεν).

③ *cetera exempla: homo -it alium hominem vel animal:* APVL. met. 5, 8, 1 Psyche mensae lautitiis eas sorores opipare -it. VEG. mulom. 2, 9, 4 furfure ... -es (sc. iumentum; cf. Chiron 277 alimentato [imperat.]). COMM. apol. 654 (respic. Matth. 15, 32sq.) quattuor milia ... de septem panibus -ecit Christus. CAEL. AVR. chron. 4, 3, 30 -ere aegrotantem cibis congruis. VAL. CEM. hom. 12, 4 esurientem inimicum (antea: pascit). PALLAD. hist. mon. I 14, 6 p. 265^A monachus -ens egenos (gr. p. 39, 5 ἀναπαύων). *cibus vel potio -it homines vel animalia:* CLAVD. DON. Aen. 1, 160 p. 39, 27 ut dulcedo aquae ... venientem -ret non tantum (animo), verum etiam corpore (i. ad p. 640, 55sq.). VEG. mulom. 1, 56, 16 potio et celeriter -it et ... curat omnes morbos. AVG. gen. ad litt. 8, 5 p. 239, 9 (respic. III reg. 17, 16) ut ... farina et oleum homines deficientes -ret nec deficeret. RVST. HELP. hist. testam. 37 (respic. exod. 16, 13sq.) Iudaeos ortygomtra avis -ecit ... et replet caelestis copia panis.

④ -untur mentes, animi, ingenia sim. animantium (addidimus aetate p. 642, 5sq., viscera, i. fere animum, p. 642, 15sq.; aliquis -it animum suum l. 72): ① iunctura -ere animum (cf. p. 643, 21): CIC. Arch. 12 poeta suppeditat nobis, ubi ... animus ex hoc forensi strepitu -atur. Att. 12, 14, 3 relaxor ... omniaque nitor non ad a., sed ad vultum ipsum, si queam, -endum (i. ad p. 642, 21). SALL. Catil. 48, 4. HOR. epist. 2, 1, 180 (opp. subruit). LIV. 9, 27, 13 conspectu ducis -tus militum est a. 21, 53, 2 restitutos ac -tos esse militibus a. 33, 36, 7 dum dux ... (a) tanto terrore animos militum -ret (sic Gronovius, (e) Briscoe, sed v. p. 639, 53sq.). al. SEN. epist. 58, 25 a. aliquando debemus relaxare et ... oblectamentis -ere. al. QVINT. inst. 4, 1, 49 urbanitas opportuna -it animos. al. GELL. 15, 2, 5 modicis ... inter bibendum remissionibus -i integrarique animos ad sobrietatem. HERM. Pal. sim. 9, 5, 4 de omnibus his -e a. meum (gr. ἀνά-

πανσον τὴν ψυχὴν μου). al. ⑤ *cetera exempla:* CIC. Planc. 2 vester, iudices, conspectus et consessus iste -it et recreat mentem meam (BIBAC. carm. frg. 14 dictis ... exsuscitat ... animos -itque ad proelia mentes. AMBR. obit. Valent. 38. GREG. M. moral. 1, 44 de aeternorum spe). SEN. contr. 2, 6, 2 seniles annos meos meliore vita -ere (item -itur aetas: PRVD. perist. 10, 740 [respic. parvuli occisi, v. Matth. 2, 16] aetas amaris, mox deinde dulcibus -ta poelis [referta var. l.]). SEN. benef. 2, 24, 1 memoria ... meritorum ..., quae subinde -enda est (QVINT. inst. 4 prooem. 6 -enda brevi repetitione rerum m. est iudicis. al.). epist. 84, 1 alit lectio ingenium et studio fatigatum ... -it. QVINT. inst. 4, 2, 121 sententiā ... stomachum iudicis -ere. PLIN. epist. 9, 36, 3 in vehiculo durat intentio mutatione ipsa -ta. VET. LAT. I Cor. 16, 18 (cod. 75. al. et VVLG.) amici -erunt ... meum spiritum ([gr. ἀνέπασσαν. inde PELAG. ad loc. p. 229, 7]. II Cor. 7, 13 [cod. 77. al. et VVLG.] -tus est s. eius ab omnibus vobis [gr. ἀνεπέπασται, Ambrosiast. requievit]). Philem. 7 (cod. 75, sim. al.) viscera sanctorum -ta sunt per te ([gr. ἀναπέπασται, cod. 77. al. et Vulg. requieverunt]). 20 [cod. 75. al. et VVLG.; gr. ἀνάπασσον, cod. 77 refrigera]). RVFIN. hist. mon. 16, 1, 9 ego -ens animam eius mulieris fame conlapsam.

⑥ -untur corpora animantium eorumve partes, attributa, facultates, condiciones (aliquis -it facultates, partes sim. corporis sui e. g. l. 44. 45. 54sq.): ① varia exempla: CIC. Att. 12, 14, 3 vultum (v. p. 641, 67). HOR. sat. 2, 4, 61 pernā ... et ... hillis flagitat ... -i stomachus potoris ([cf. 58 recreabis]). CELS. 3, 11, 2 medici -unt s. cibo frigidus [restituunt var. l.]. SCRIB. LARG. 107 hoc medicamentum ... -ere et confirmare eum s. PLIN. nat. 28, 196 s. exulceratum lactis asinini potus -it. al.; aliter l. 11). CELS. 5, 18, 7 malagma, si quid in corpore collisum est, -it. SEN. benef. 3, 9, 2 cadentes venas vino -isse. PLIN. nat. 30, 124 fimum murinum ... mammas mulierum a partu tumentes -it. MART. 10, 56, 3 eximit aut -it dentem Cascellius aegrum. QVINT. inst. 11, 3, 13 rasas fauces ac latus fatigatum deformi cantico -ere (DON. vita Verg. 1.92 -endarum f. [virium var. l.] causa. cf. SVET. Nero 20, 2 ad -endam vocem). AVR. Fronto p. 86, 17 Faustina -it sanitatem. APVL. met. 6, 21, 3 -tis ... pennis Cupidinis ali-quanta quiete. MIN. FEL. 35, 3 in inferis ignis membra urit et -it, carpit et nutrit (HIER. in Ezech. 16, 13^c. AVG. serm. 252, 9 m. nostra -ere volumus. al.). AVG. serm. 56, 10 quo pane caro cotidie -itur (CASSIAN. inst. 6, 2 escarum abundantia -ta c. [referta var. l.]). CAES. AREL. serm. 4, 3. al.). MARCELL. med. 35, 31 confectio ... ad -endos confirmandosque nervos (CORIPP. Ioh. 6, 6 quassos -it victoria n.). CAEL. AVR. chron. 4, 3, 34 ora aegrotantium spongiis ... -ere. al. ② -untur vires (aliter p. 643, 38; e con. dub. LIV. 2, 65, 5 v. -erant [Weissenborn, v. -bant Madvig, alii alia; v. ferebant trad.]): CIC. Cato 36 senibus tantum cibi et potionis adhibendum, ut -antur v., non opprimantur. VERG. georg. 3, 235 ubi collectum robur taurorum v. que -tae (receptae var. l.). LIV. 37, 24, 6 cum ... nautae cibo -rent v., (-rentur v.) var. ll.). CELS. 3, 25, 2 paululum. PHAEDR. 3, 2, 9 panthera v. ut -ecit languidas. FRONTO p. 109, 22. al. ③ -itur corpus: LIV. 37, 5, 2 cibo et quiete -tis c. militum. COLVM. 12, 33, 1 vinum ... ad c. -endum. APVL. met. 8, 23, 3 (loq. asinus) triduo ... iumentorum -tis c. nostris, quo vendibiliores videremur. AVSON. 27, 19^b (413 S.), 17 alacri -ti c. motu. AMM. 19, 6, 1. CHIRON 366 animal laborat per viscera (neque -et c.) (cod. Basil., uterque -et c. Monac. [quod del. Oder]). AMBR. in Luc. 7, 217 (ad 15, 16) quo cibo c. non -itur, sed inpletur. DRAC. satisf. 85 corpora sol -it radiis et corpora vexat. et saepius. ④ -untur oculi sim. (sive corporaliter sive visu amoeno sim.): PLIN. nat. 20, 254 feniculum nobilitavere serpentes ... oculorum ... aciem suco eius -endo. PLIN. epist. 1, 24, 4 ut relevare caput, -ere oculos ... possint domini agrorum (5, 6, 13 varietate. APVL. met. 10, 29, 3 spectaculi prospectu. EVSTATH. Basil. hex. 4, 1, 1 populi spectaculis ... proprios o. pascendo -unt [gr. πόλεις ... ἐσθίωσαι τὰς ὄψεις]). ISID. orig. 6, 11, 2). LACT. opif. 10, 2 palpebrarum motus ... -it obtutum.

⑤ spectat ad refecionem rerum: ① quarumlibet: CIC. Sest. 15 in ... -enda salute communi (i. rei publicae). PVBLIL. sent. I 10 iucundum nihil est, nisi quod -it varietas. NEP. Ham. 1, 4 (cf. 3 patriam exhaustam sumptibus) mente agitabat ..., si paulum modo res essent -tae, bellum renovare (AVR. VICT. Caes. 33, 11 r. Romanam). STAT. Theb. 1, 555 largo ... -ti ture ... lucent altaribus ignes (cf. 12, 268 mulier -it spiramina fessi ignis. aliter p. 644, 1). AVR. VICT. Caes. 9, 1 (sim. PS. AVR. VICT. epit. 9, 5) Vespasianus ... exsanguine diu ... terrarum orbem brevi -ecit. HIL. AREL. vita Honorat. 35 l. 9 -istis ... latentem adhuc inter vos peregrinationem meam (i. fere me peregrinantem), pavistis me ... animi caritate. ② agrorum, terrarum sim. (aliter l. 67): VERG. georg. 3, 337 solis ad occasum, cum ... saltus -it iam roscida luna ([SERV. recreat]). MAX. TAVR. 31, 1). LVCAN. 9, 423 Libye Arctos ... imbre accipit et nostris -it sua rura serenis. PLIN. nat. 2, 52 sol se celans noctium opacitate terras -it (CARM. de resurr. 244). PAVL. PELL. euch. 195 culturam agris adhibere -tis (sc. antea neglectis). ③ arborum, herbarum: OV. fast. 3, 711 cum te-

[Güner]

neras aurora -erit herbas (VEREC. in cant. 2, 3 ros consumptas -it h.). COLVM. 4, 27, 6 religatam vitem requiescere ac -i par erit (CE 280, 2 [Apameae ad Orontem, saec. IV/V] bitis ... sole -ta). PLIN. nat. 17, 144 harundo -itur ... ex sese vetere harundineto exstirpato (cf. p. 591, 56). 17, 246 (inter remedia arborum) fimum suco -tis (def- Mayhoff). ④ caelestium (aliter l. 75): VAL. FL. 2, 62 sidera ..., quae delapsa polo -it mare (item -it mare: ANTH. 718, 9 tu, Oceane, fesso(s) Phoebi -is si gurrite currus eqs. DRAC. laud. dei 1, 682 de fluctibus orbe solis -to). SIL. 12, 248 exorientis lunae splendore -to. STAT. Theb. 7, 224 si clara dies Zephyrique -ecit aura polum.

b speciatim in religione Christianorum respicitur refectio spiritalis a deo, Christo vel per ritus ecclesiae, scripta sacra sim. effecta:

a varia exempla (adde p. 591, 32): VET. LAT. Matth. 11, 28 (cod. 3. al., sim. al. et VVLG.; verba Christi) venite ad me omnes, qui ... onerati estis, et ego vos -am (gr. ἀναπαύω, cod. 10. al. requiescere faciam). HIL. in psalm. 118 zain (= 7) 2 animum eloquiis dei -tam (HIER. psalt. sec. Hebr. 22, 3 deus super aquas refectionis enutrivit me, a. meam -ecit. RVFIN. hist. mon. 1, 7, 11 beatus Iohannes ... verbis suis a. nostras -ecit et innovavit [gr. ἰ ἐθεράπευεν]. AVG. serm. 255A coll. Morin p. 333, 4 spiritalis escas ..., per quas a. vestras -at ecclesia. al., e. g. l. 29). HIER. in Is. 15, 55, 11.80 G. quae sapientia ... animum -it (AVG. util. cred. 6, 13 -endis instaurandisque a. al.). DOCTR. apost. 4, 2 ut, te -as, verbis illorum sanctorum (gr. ἐπιπαύης). AVG. civ. 22, 30 p. 634, 11 dei sanctificatione pleni atque -ti (perfar. l.; cf. p. 634, 16 a quo nos -ti et gratia maiore perfecti). serm. 130, 2 ipse Christus est ... panis, qui -it et non deficit (v. Ioh. 6, 35. al. et cf. l. 51). CONC. S I 2 p. 56, 1 (sim. I 3 vers. Tur. p. 71, 3) ut populum abiectum -at Christus (gr. I 1, 2 p. 42, 14 ἀναπήσθηται, quod pendet e Cypr. elem. I erigeret). PS. IOH. MED. hom. 30 p. 897 fons aeternus (i. baptisma), qui -it, id est iterum facit, quomodo generatio et regeneratio -it animas, quia innovat in fide. GREG. M. moral. 9, 48 prophetiae morte Christi semetipsum -i atque reformari ad vitam noverunt. al. **β** disting. facere (cf. efficere AVG. in euang. Ioh. 2, 15): AVG. in psalm. 38, 17 qui fecit hominem, ipse -at, et qui creavit, ipse recreat. PROSP. in psalm. 134, 7. PETR. CHRYS. serm. 143, 9 si deus fecit hominem, quis arguit, cur -ecit? (antea: reparet ... renovat ... in melius reformat). al.

3 -untur, quorum numerus repletur (cf. fort. VERG. p. 640, 30): exercitus sim.: CAES. civ. 3, 87, 4 copiae ... ex dilectibus ... sunt -tae. SALL. hist. frg. 3, 98B -to exercitu (LIV. 3, 10, 8). VELL. 2, 16, 4 vires -tae sunt (HIST. AVG. Prob. 9, 5. aliter p. 642, 39sq.). collegium: SIDON. epist. 7, 5, 3 in constituendo episcopo ... provincialium collegiarum deficiunt numero, nisi metropolitanorum -amur assensu.

B pro obi. sunt ipsa damna, vitia sim.: **1** animantium: defectus corporis, sc. morbi, infirmitates sim. (etiam in imag.): VITR. 8, 3, 4 sulphureos fontes nervorum labores -unt ...; aluminosi ... refrigerationem (-tione codd. pler.) membrorum paralyticorum contraria caloris vi -unt (recipiunt var. l.). COLVM. 6, 30, 1 si equis sanis est macies, ... tritico ... -itur. PLIN. nat. 31, 119 nitrum -it lassitudines cum oleo ... peruncorum (PS. ORIG. hom. in Matth. 4, 3 p. 265, 29). FIRM. err. 14, 1 per epulas corporis -itur infirmitas (SACR. Leon. 591 GREG. M. epist. 2, 44 l. 42). HIER. psalt. sec. Hebr. 103, 11 sitim (iv. p. 641, 18). VITAE patr. Iurens. 179 fidei ... s. ISID. reg. monach. 9, 9). NICET. appell. p. 3, 9 Christus panis dicitur, quia famem scientiae per suum -ecit euangelium (MAX. TAVR. 2, 2 [respic. act. 10, 11sq.] f. fidei tuae, Petre, ... gentium diversitate -o. GREG. M. moral. 6, 10). AVG. conf. 10, 31, 43 ruinas corporis edendo et bibendo. mus. 6, 5, 9 ea, quibus anima corporis detrimenta -at. quilibet defectus: MART. 4, 37, 9 (homini molesto) cotidianam -e nauseam nummis. CLAVD. DON. Aen. 8, 305 p. 158, 22 nulla alia res sic ... animi taedium -it quam sermo. ALC. AVIT. epist. 73 -istis sollicitudinem nostram de vobis prospera nuntiando. GREG. TVR. glor. mart. 90 qui flores ... animi maestitiam ... -ant suavitate. ISID. reg. monach. 5, 3 indigentiam aliorum.

2 tubulorum aquam ferentium: VITR. 8, 6, 10 si quod vitium factum fuerit, quilibet id potest -ere.

II respicitur status eorum, quae restituuntur, postquam perierunt, amissa vel intermissa sunt, esse desierunt, sim. (sc. ita ut ea, quae fiunt, pro eisdem habeantur atque ea, quae periisse putantur): **A** -untur res variae: **1** corporeae: LVCR. 1, 557 quidvis citius dissolvi posse videmus quam rursus -i (syn. 560 reparari. item -untur omnia: 1, 562 -i rem quamque videmus. TERT. adv. Marc. 1, 13, 3 quae elementa omnibus gignendis alendis conficiendis -endisque conspirant). CAES. civ. 2, 15, 1 ea opera bellica, quae sunt amissa, ... -ere (cf. in eodem contextu: 2, 16, 1 ubi hostes viderunt ea, quae diu ... -i non posse sperassent, ... paucis diebus -ta). SALL. Iug. 66, 1 dux arma tela aliaque, quae spe pacis amiserat, -ere aut commercari. OV. fast. 3, 144 fieri novus ignis in aede Vestae dicitur et vires flamma -ta capit (DRAC. laud. dei 1, 669 nuntius aurorae subductus morte diurna Lucifer extinctas -it per sidera f. cf. exemplum sequens).

PETRON. 136, 3 (2 vas fractum ignem ... restinguit) anus ad -endum ignem in viciniam cucurrit (aliter p. 642, 65sq.). SVLP. SEV. chron. 1, 19, 8 tabulae ..., quas Moyses prius confregerat, -tae sunt (respic. exod. 34, 1sq.; cf. de eadem re l. 11). **2** quaelibet incorporeae: LIV. 23, 26, 3 dux -ta tandem spe castra propius hostem movit. FEST. p. 281 repotia ..., quia quasi -itur potatio. SEN. epist. 18, 10 voluptas ... non illa ... fugax et subinde -enda, sed stabilis et certa. PETRON. 23, 1 -tum ... est convivium et rursus Quartilla ad bibendum revocavit. 60, 5 nova ludorum commissio (rem- trad.) hilaritatem [hic] -ecit. TAC. ann. 6, 17, 4 sic -ta fides et paulatim privati quoque creditores repti. PANEG. 4, 20, 1 bellum (AVR. VICT. Caes. 29, 5). CONSVLT. Zacch. 1, 19, 10 -ta ... praecepta (quae deus Moysi dedit; cf. l. 3). al. **3** testamenta irrita facta: VLP. dig. 28, 3, 6, 6 an testamentum ... poena irritum factum -endum est? 29, 1, 9 pr. videtur iure militari -isse t.

B -itur pecunia impensa, quae recuperatur: LENT. Cic. fam. 12, 14, 5 quod Cassio dedi, quod Trebonii morte amisimus ..., id consequi et -ere volo. VARRO rust. 1, 2, 8 (antea p. 517, 36) nemo ... sanus debet velle impensam ac sumptum facere in cultura, si videt non posse -i, nec, si potest -ere fructus, si videt eos fore ut pestilentia dispereant (i. ad p. 645, 4). PAVL. sent. 2, 7, 4 merces ... amissas intributione earum, quae in navi salvae erunt, -i convenit (loco simili Paul. dig. 14, 2, 1 iactus sarciatum). IVST. 9, 1, 9 praedandi causa profectus est ... impensas belli alio bello -turus.

C -untur animantia aliave, quae nata sunt, sc. post mortem (-itur caro l. 29, anima l. 30; apud AVG. respic. mors spiritalis): TERT. anim. 21, 7 (respic. id, quod natum factumque constiterit) et renasci ... poterit et -i. resurr. 11, 10 idoneus est -ere, qui fecit, quanto plus est fecisse quam -isse (postea: restitutionem carnis. sim. 57, 7 idoneus deus -ere, quod fecit). 35, 8 -etur caro (antea: resuscitata). AVG. civ. 13, 15 p. 573, 22 sive ut deus eam animam faceret, quae nulla erat, sive ut -at, quia lapsa perierat. COMM. apol. 751 idololatres mittetur in igne -tus nec ibi permoritur.

III respicitur quilibet status vel eventus: **A** restituendus vel producendus: **1** -untur animantes (addidimus figuras fortunatasque eorum l. 43); respic.: **a** magistratus, qui iterum creantur (c. structura praedic. e. g. l. 37): CIC. Lael. 96 legem de tribunis plebis -endis (LIV. 3, 21, 2 magistratus continuari et eosdem t. -i. et saepe. VIR. ill. 73, 5, 73, 9 tertio). LIV. 4, 13, 7 Minucius praefectus annonae seu -tus seu ... in incertum creatus. 4, 23, 1 eosdem consules insequenti anno -tos esse (10, 13, 8 qua lege intra decem annos eundem c. -i non liceret. 27, 6, 7). SEN. epist. 104, 9 ille c. factus, ille etiam -tus). 24, 9, 4 praetor unus -tus ... Flaccus, novi alii creati. al. apud eundem. **b** homines, qui per metamorphosin formam priorem resumunt (aliter l. 59): VAL. FL. 4, 391 -ta Iovi paulatim in imagine prisca ibat agris Io. APVL. met. 1, 1, 2 figuras fortunatasque hominum in alias imagines conversas et in se rursus mutuo nexu -tas. **c** animalia, quae in gregem restituuntur: TERT. pudic. 7, 19 (respic. Ezech. 34, 2sq.) illud animal mortuum in gregem -ere (sc. quod absurdum sit; postea: resumantur; cf. 7, 17 restitues. alluditur ad moechos sim. in ecclesiam non recipiendos).

2 -untur res: **a** cursus sim. temporis, qui sine fine repetitur: VAL. FL. 1, 506 (loq. Sol) Iuppiter, cui nostra dies volventibus annis tot peragit -itque vices. BOETH. cons. 4 carm. 6, 16 (respic. sidus Veneris) Vesper seras nuntiat umbras revehitque diem Lucifer ...; sic aeternus -it cursus alternus amor. **b** vestimenta, quae in statum priorem revertuntur: TERT. pall. 5, 3 pallium facile sese regit, facile -it.

B mutandus, in formas novas vertendus: -untur res (addasne p. 639, 37?): LVCR. 1, 235 quod si ... antea fuere, e quibus haec rerum consistit summa -ta eqs. (nisi ad p. 639, 39). GARG. MART. cur. boum 8 salem cepamque conterito et in offae modum -ito. -itur homo: IVL. VAL. 1, 4 l. 231 statim se -it ... magus et reformat in ... draconis ... tractum (gr. p. 10, 10 ἀλλάξας ἑαυτόν).

CAPVT ALTERVM: pro obi. sunt ea, quae refectione efficiuntur: **I** vigente vi praeverbii -untur, quae pro aliis rebus fiunt, substituuntur, vel ex eis oriuntur (accedit praepos. ex e. g. l. 68. p. 645, 5, 7, adv. inde l. 72, dat. commodi l. 68sq. 75): **A** commoda, quae accipiunt homines: **1** lucrum, sc. pro rebus venditis sim. (e con. dub. VARRO ling. 5, 176 -tum [Turnebus, cf. Heidrich, Wien. Stud. 15, 1893, 307; re factum codd., edd. rec.]): CIC. Verr. II 3, 119 dominus gaudet ..., quod tanto, plus sibi, (plus, sibi plus var. ll.) mercedis [ex fundo] -tum sit (receptum sit var. l.; i. venditis instrumentis, pecore sim.). parad. 45 numquam eris dives, ante quam tibi ex tuis possessionibus tantum -etur, ut eo tueri sex legiones ... possis. LIV. 1, 53, 3 rex cum dividenda praeda quadraginta talenta argenti -isset eqs. (recep- var. l.). 35, 1, 12 quod inde (i. ex praeda vendenda) -tum est, militi divisum. CELS. dig. 50, 16, 88 quantum ex bonis cuiusque ... -i potest. TERT. nat. 1, 10, 24 exigitis mercedem ... pro aditu sacri ...; plus ... publicanis -itur, quam sacerdotibus (i. Rigal-

tius, -fig- cod.). PAPIN. dig. 22, 1, 3, 4 (*abl. absol.*) ea materia distracta pecuniaque -ta (26, 7, 39, 8 ex venditionibus. VLP. dig. 37, 6, 1, 10). VLP. dig. 35, 2, 82 (*neutr. pro subst.*) heredi ex -to quarta pars servanda est.

al. **2 fructus, sc. ex agri cultura:** VARRO rust. 1, 2, 8 fructus (v. p. 644, 19). 1, 24, 3 hostium vocant, quod ex uno facto olei -itur.

B varia: **1 quaelibet (hucine l. 25?):** LVCR. 1, 263 haud ... penitus pereunt quaecumque videntur, quando alid ex alio -it natura. VERG. Aen. 10, 234 (*loq. una nympharum, quae antea naves fuerunt*) hanc genitrix Cybebe faciem miserata -ecit et dedit esse deas (SERV. aut 're' vacat, aut quia ante in ipsis forma fuerat navium [addit auct.: ergo alteram fecit]). SOL. 45, 16 equi mittuntur etiam post vicesimum annum ... ad subolem -endam (pendet e Plin. nat. 8, 163, ubi - deest [reparandam unus cod. post corr.]). PS. MVSA herb. Vett. 1.38 (*herba nova substituenda est*) efficacius vulnus sanabit, si tertio quoque die -tam, id est recentiore, frequentius imposueris. **2 aedificia aliave manu facta (hucine p. 638, 35. 54? paulo aliter p. 638, 22sq. 639, 13sq.):** LIV. 21, 11, 5 ut novum murum ab ea parte, qua patefactum oppidum ruinis erat, -rent (36, 23, 3 cum pro dirutis -rent muros). PLIN. nat. 34, 150 cuius catenae ferreae anulos, qui -ti sint, robigne infestari, carentibus ea prioribus.

3 caro Christi, sc. ex humana carne denuo creata: CARM. adv. Marc. 2, 146 ex eadem massa (*sc. ex qua Adam et Eva*) simili ratione -ta iam renovata redit ... caro.

II evanida vi praeverbii vergit in meram notionem efficiendi (cf. SERV. l. 9; hucine iam VARRO p. 639, 19?): APVL. flor. 9, 27 praeoptare me fateor uno chartario calamo me -ere poemata omnigenus (*alii cogitant de poematis vel retractandis vel antiquis imitandis, ut ad p. 639, 35sq. vel ad l. 6sq. pertineat; v. La Rocca, comm. 2001, 186sq.*). CAEL. AVR. chron. 5, 7, 86 (*si recte trad.*) ultra modum urinae retentio difficultatem (m)ictus (*corr. ed. princ.*) saepe -ecit (efficit ed. 1566).

p. p. p. refectus, -a, -um pro adi. (exempla probabiliora, quae maxime usui p. 639, 43sq. illustrato respondent). compar. -ior l. 36sq., superl. non occurrit. **1 fere i. q. vigorem habens, validus, sanus:**

a -us est homo (anima l. 36): QVINT. inst. 10, 3, 27 quotiens ad eam lucubrationem integri ac -i venimus. 10, 3, 29 si non nisi -i, non nisi hilares ... studendum existimamus. PAVL. MED. vita Ambr. 47 ut in virtute escae (*sc. hostiae*) anima -ior ... in caelo laetetur (*item compar.:* MART. CAP. 2, 139 [ad Philologiam] ut -ior caelum sublimisque conscendas). VITA Caes. Arel. 2, 45 de hoc ... homo dei -us pariter et laetus. **b -um est animal:** VEG. mulom. 2, 87, 2 -a et bene curata animalia subito ... inflata moriuntur. 4, 3, 4 insaniam -is bobus eripit sensum. HIER. tract. in Marc. p. 364, 29 pugnaturus videt ..., si equus ipsius -us est. PAVL. PELL. euch. 211 iumentis.

2 fere i. q. plenus, repletus (maxime c. abl. rei replentis; edd. VEN. FORT. hic illic -fert- coniecerunt, sed v. Blomgren, Eranos 69, 1971, 107):

a -us est homo (sc. incorporeis): PALLAD. hist. mon. I 25, 2 p. 290^B rursus ex ipsa inflatione -us est factus et, (*om. rec. β*) ... superbia ... elatus est (*gr. p. 79, 11 πάλιν φουσιωθείς ... μέγα ἐρρόνει*). GREG. M. in euang. 34, 11. 1.277 prophetae divinae largitatis munere -i (refertur var. l.). **b -us est locus:** VEN. FORT. carm. 1, 18, 2 quo loco vires assidue flore -us ager (2, 16, 15). **c -a sunt scripta:** VEN. FORT. carm. app. 31, 5 versiculos ... placido sermone -os. epist. (carm. 5, 1) 3 sancta[m] caritate[m] -am ... epistolam (epist. [carm. 10, 4] 1 omni caritate -as ... e. [-sect- var. l.]).

deriv.: refectio, refectio, refector, refectorius, 2. refectus (-ūs).

compos.: ir-, semi-, subrefectus.

cf. Onom. (Refectus).

refictio v. refectio.

Gitner.

refigo, -xī, -xum, -ere. a re- et figere. de notionem (*cf. p. 646, 5*): GLOSS. -o: ἐξήλω. GLOSS.^L I Ansil. RE 602 -xum: evulsum (*cf. p. 646, 15*). [confunditur in codd. c. defigere p. 646, 14 (restit. p. 646, 30), reficere p. 646, 7sq. 25 (restit. p. 646, 10, 19; falsa var. l. LIV. 23, 34, 17 PLIN. nat. 35, 26; falso trad. TERT. nat. 1, 10, 24; e conii. dub. PACVV. trag. 389 p. 637, 70), refringere p. 646, 37 (falso in codd. det. HOR. epist. 2, 2, 171; cf. p. 646, 6); legitur et explic. pro refringere p. 646, 50; olim edebatur ANTH. 229, 1.]

I i. q. avellere, revellere, tollere (sc. res fixas, praeverbio notionem verbi simplicis invertente; opp. figere e. g. l. 74. p. 646, 35. 39, ad- p. 646, 5, in- p. 646, 18; indicatur unde per abl. e. g. p. 646, 4. 11. 18. 27, praepos. de p. 646, 2, ab p. 646, 13, adv. p. 646, 17; refl. p. 646, 10): **A corpora-liter:** **1 strictius, sc. e loco, -untur:** **a** tabulae: CIC. or. frg. A 15, 5 ut quas haberet in vestibulo t. -ret (*item -untur tabulae scripta continentes [cf. B]*): VENVL. dig. 48, 13, 10 pr. qui t. aeream legis [‘leges?’ Mommsen in app. crit.] formamve agrorum aut quid aliud continentem (-erit). VENVL. dig. 43, 24, 22, 2 si ad ianuam meam t. fixeris et ego eas ...

-xero eqs. PAVL. dig. 45, 1, 83, 5 si reficiendae navis causa omnes t. -xae

sint eqs. **b arma postibus sim. fixa:** VERG. Aen. 5, 360 clipeum ... sacro ... de poste -xum ([huc spectat l. 7sq.]. HOR. carm. 1, 28, 11. SIL. 10, 600 c. in bella -ite. HYG. fab. 170, 10. CLAVD. DON. Aen. 3, 285 p. 304, 20 [opp. figo; syn. convelli]). HOR. epist. 1, 18, 56 Augustus templis Parthorum signa -it (SCHOL. abstulit [affert VERG. l. 2]). PLIN. nat. 35, 7 adfixis hostium spoliis, quae nec emptori -ere liceret (refring- edd. vet.). CLAVD. DON.

Aen. 5, 360 p. 464, 22sq. (*ad l. 2*) -ere (-fic- var. l.) plus habet laboris quam figere, (perficere trad.), quoniam -endi (-fic- var. l.) mora potuit adferre perniciem. **c homines:** SEN. dial. 1, 3, 9 (*antea:* figunt cument clavi) -e illum, i. Regulum (refice trad.). 7, 19, 3 (*in imag.*) cum -ere se crucibus contentur, in quas unusquisque vestrum clavos suos ipse adigit eqs. (*item cruce:* IVST. 9, 7, 11 -xum corpus). PAVL. NOL. carm. 18, 310 (*hyperbolice*) cedere nusquam ... nec ab isto poste -i (-or, revelli var. ll.).

d varia: HOR. epod. 17, 5 carmina valent -xa (de- var. l.) caelo ceu saepe -xa ... volantia sidera. ZENO 1, 2, 17 quas stellas si per plagas unde -xae sunt, quaeras). VAL. MAX. 1, 6, 10 tum demum immobile dei caput terra -i potuit (*antea:* capite ... infixio humi, ut avelli nequiret). CELS. 6, 15, 3 si moventur ... aliqui dentes, -i eos oportet (refici codd.; cf. p. 642, 28). PS. QVINT. decl. 10, 19 (*ad magum*) paciscere, ... ut ferrum tuum (*sc. quo sepultum artavisti*) -as, ut verba tua magica resolvat eqs. LEX horr. (CIL VI 37795) 9 s(i quid ... conductor in)aedificaverit, (tollendi ius non habebit, nisi dat)a ei refi, g, endi po(testas fuerit) (l. in litura, sc. erasis litt. fort. ci]. cf. VLP. dig. 7, 1, 15 pr. si quid inaedificaverit, postea eum neque tollere hoc neque -ere [-fic- var. l.] posse: -xa plane posse vindicare). PAVL. NOL. carm. 19, 657 quam, sc. crucem, fur ... pendente, -xerat unco (l. per hypallagen). 24, 611 hic sicut Samson (*sec. iud. 16, 3*) praetenta rumpet vincula, palos -et.

2 laxius, sc. undecumque: CVRVS Cic. fam. 7, 29, 1 quo facilis ... nostra -ere (*Lambinus, de- trad.*) deportareque tuto possimus (*sc. in imag. pecuniae emendo vel fenerando collocatae exiguntur, nisi fallimur; de eadem re cf. Cic. fam. 7, 31, 2*). CLAVD. 8, 497 non iam hasta auctionantis -xas vendit opes (*sc. e possessione raptas; -xa var. l.*).

B incorporaliter vel in imag. -untur leges sim., ita ut abrogenatur sim. (ad Ala vergunt l. 36sq. 43): CIC. Phil. 12, 12 num figentur rursus eae tabulae, quas vos decretis vestris -istis? (FIRM. math. 1, 2, 10 tu, qui promulgas leges ..., tolle scita, -e t. [refringe var. l.]). 13, 5 acta M. Antoni rescidistis, leges -istis ..., contra auspicia latas decrevistis (VARIVS carm. frg. 1 Antonius fixit l. pretio atque -it [eadem verba VERG. Aen. 6, 622; explicat CLAVD. DON. p. 590, 3 alias conscribi l. effecit et alias removeri]. CAES. AREL. serm. 167, 6 Christus confixus clavis legem mortis -xit [Morin, revixit, reflexus codd.; cf. locum geminum 206, 3 revinxit]). fam. 12, 1, 2 (*de Caesare*) cuius aera -ere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? IVLIAN. in Os. 11, 7 (*loq. deus*) non -am istam promulgationem, quam ... mandavi.

II i. q. (iterum) figere (indicatur quo per dat. l. 47): VET. LAT. Hebr. 6, 6 (Tert. pudic. 20, 3) lapsi -entes cruci in semetipsos filium dei (*gr. ἀνασταυροῦντας, Vulg. rursus crucifigentes*). AMM. 28, 2, 3 fixis -xisque alioquiens ... ingentibus stillis. SERV. georg. 4, 202 (*legit:* cerea regna -unt [pro refing-, v. l. 74]) -unt: figunt (*sim. SCHOL. Bern.*). auct. *ibid.* -unt: id est sufficienti, ut suffectus dicitur magistratus. van der Velden.

refigūrātio, -ōnis f. a refigurare. i. q. actio refigurandi, reformatio: EVSTATH. Basil. hex. 8, 8, 6 (5 videtis quaedam animalia figuram propriam commutare) reminiscimini huius animalis, i. vermis Indici, -em, ut ... nihil dubitetis de reformatione corporis (*gr. p. 185^A μεταβολῆς*).

refigūro, -āre. a re- et figurare. [vix recte trad. VINDIC. nat. hum. 1.295 per haec ... foramina ... spiritum ... capimus rursusque per eadem omnia -vimus (i. -bimus? sed cf. l. 283 refrigeratio, l. 288 in refrigerationem).]

i. q. iterum figurare, novam figuram dare sim. (vergit in malam partem l. 63, si recte trad.): VET. LAT. sap. 19, 6 omnis ... creatura ad suum genus ab initio -batur (*gr. πάλιν ... διετυποῦτο*). II Petr. 2, 14 (Ps. Aug. spec. 110 p. 640, 11) iniqui -antes spiritus stabilitos (*cod. unus, risiculantes rell.; gr. δειλάζοντες ψυχὰς ἀστηρίκτους, Vulg. pellicientes animas instabiles*).

deriv.: refiguratio.

refindo, -ere. a re- et findere. scribitur hic illic -fend-.

GLOSS.^L III Abstr. RE 38 (= V Aa R 199) -it: rescindit, aut diminuat, (*om. pars codd. et I Ansil. RE 522*). GLOSS. IV 561, 35 -it: rescindit (-scend- var. l.).

refingo, -finxī, -ere. a re- et fingere. [*e conii. dub. PACVV. trag. 389 p. 637, 70. RVT. NAM. 1, 116 p. 325, 64. ANTH. 229, 1 p. 599, 71.*]

1 vi praeverbii vigente i. q. rursus fingere, reficere: VEG. georg. 4, 202 apes novo fetu aulas ... et cerea regna -unt (refig- [quod legit Serv., v. l. 49], reling- var. ll.). TERT. anim. 34, 1 quae, sc. doctrina metempsy-

chosis, humanas animas -at in bestias. Ps. AVG. quaest. test. 104, 3 *Iesus non ut medicus, sed quasi corporis conditor opus suum truncatum -xit (postea: abscisa corporis membra reparare; spectat ad Luc. 22, 51)*. **2 vi praeverbii minus perspicua fere i. q. fingere:** *simulando*: APVL. met. 3, 12, 1 hilario vultu renidens quantumque poteram laetiosem me -ens. *excogitando*: CONC.⁵ IV 1 p. 141, 12 eiusmodi ... exemplum non ex me -o, sed ex divinis scripturis eruditus scribo.

refirmo, -ātus, -āre. *a re- et firmare.* [in edd. vet. pro reformare RVF. FEST. 14 ZENO 1, 36, 9.] *i. q. in statum firmum reducere, restituere*: INSCR. Année Épigr. 1992 n. 1484 (*Germisarae; a. 190*) nymphi(s) ... retulit sua vota libens salutis ter -tus aquis Germisarae (vel -(ensibus)). 1977 n. 818 (*Zeugmate; saec. IV*) viator, miser(ere) filio meo hic sepulto ... et ref(ir)ma me. EPIST. canon. 3 res ipsae fraudatae ... recolligantur et in ipso loco, unde ablatae sunt, -entur (-form- ed. Baluzii).

[refisit (-vis-); **refitit** GLOSS.¹ I Ansil. RE 599. *obscurum; 'an repetit? vix repedit? ed.]*

reflābilis, -e. *a reflare. i. qui potest reflari, sc. eo quod: (rursus) se inflat (nisi est i. q. inflatus): ZENO 2, 4, 9 (ironice de lecto molliore) delicate tumentis ac -is tori plumeo sepulcro. efflatur, emittitur*: CAEL. AVR. chron. 4, 1, 6 (*antea*: ventrem ... leviter deducendum iubet) dat cibos facile -es (*ibid. iterum*).

[**reflābri** reciproci olim afferebatur ex APVL. mund. 12 p. 315; *trad. flabris reciprocis, v. p. 356, 67.]*

reflāgō, -āre. *a re- et flagitare. i. q. flagitare, ut aliquid reddatur (an identidem?)*: CATVLL. 42, 6 persequamur eam moecham et -emus, *sc. codicillos*. 42, 10 -ate: 'moecha ..., redde codicillos'.

reflagro, -āvī, -āre. *a re- et flagrare.* GLOSS.¹ V Aa R 204 (= GLOSS. V 479, 1) -vit: refrixit ([revixit *Quicherat, Addenda, 245 de igne dictum putans*]. GLOSS. V 512, 38 [scrib. -fra-]. *sc. praeverbio notionem verbi simplicis invertente, sed utroque loco refrigera- Heraeus in exemplari suo*).

reflammo, -āre. *a re- et flammare. i. q. rursus inflammare*: NON. p. 440, 30 (*spectat ad Cic. Lael. 78* extinctae potius amicitiae quam obpressae) quasi quod extinguitur, possit -ari; quod obprimitur, non queat.

[**reflātatio** vix recte trad. l. 37.]

reflātio, -ōnis f. *a reflare. i. q. actio reflandi, efflandi (sed v. l. 43)*: VINDIC. med. 34 sternutationem refla[t]atione inquit fieri liquoris (*Wellmann, limoris cod., umoris Fischer in plagulis*) in cerebro constituti cadentis per nares (*postea p. 652, 66*). CAEL. AVR. chron. 1, 1, 12 erit tendendus aeger usque ad cutem; ... ex alto -o quaedam viarum nuditate permittitur. 4, 3, 24 leniter oppresso [folliculo, quo liquoris] -o fiat, erit tentandum, ne clysteris caverna fuerit clausa (, *Drabkin, liquore quo folliculi ed. Sighardi, ut praeverbium spectet ad actionem, qua effectus inflandi tollitur, cf. p. 653, 10*). EVSTATH. Basil. hex. 3, 3, 6 qui liquor, cum in vacua vasa diffunditur, quibusdam interdum -bus intumescit (*paulo aliter gr. p. 57^B τῆς κοιλῆς νοτίδος τῆς ὑπερφουσιμένης ἐν τοῖς κρονοῖς*).

reflāto, -āre. *a reflare. i. q. reflare, sc. spirando: efflando*: HIPPOCR. mul. 26 l. 546 *mulier, quae concepit, -at spissum et multum (gr. 34, 3 μάλιστα δὲ ἀναπνεῖ πικρινόν)*. *iterum flando*: ORIBAS. syn. 9, 44, 1 Aa p. 359 (*de suffocatione matricis*) quaecumque ... ex plenitudine ... ἄπνους, (*resp. gr. ἀπνοοῦσιν*), in venam mox oportit incidi; statim enim ἰ-ant vel respirant, (*gr. ἀναπνεύουσιν, La eventatur*).

reflātus, -ūs m. *a reflare. i. q. actio reflandi: venti adversi*: CIC. Att. 12, 2, 1 tot navis delatas Vticam -u[r] hoc. LACT. inst. 3, 29, 6 (*ad p. 652, 45; in imag.*) doceat me ..., qui flatus iste et qui -s fortunae sit. *orcae aquam efflantis*: PLIN. nat. 9, 15 navigium mergi vidimus -u beluae oppletum unda.

[**refle(c)tio** falso trad. p. 651, 72.]

reflecto, -xī, -xum, -ere. *a re- et flectere.* NOT. Tir. 73, 16^a -it. 16^b -xit. *de mensura: praevallet rē- (saepe in fine hexam.; alibi in hexam. Ov. met. 5, 547 CARM. de resurr. 184); rē- in hexam. LVCR. 3, 502, 4, 442 SIL. 9, 596, 16, 54 CARM. de fig. 13; loco ambiguus in iambis TER. Ad. 307 SEN. Thy. 428. de notione (adde p. 648, 58, 649, 44, 650, 65)*: GLOSS. V 512, 39 -it: incurbat (*i. -curv-*), reinclinat. GLOSS.¹ I Ansil. RE 603 sqq. -xa: decorta (*i. -tor-*). retr(ors)um versa. retro conversa vel flexa. *legitur saepius apud poetas inde a TER. (v. p. 649, 42), CIC. Arat., CATVLLO, LVCR., VERG. (de ENN. v. p. 648, 44), in prosa orat. inde a CIC., VITR., VAL. MAX. per totam latinitatem. [confunditur in codd. maxime cum flectere, e. g. p. 648, 68, 649, 22, 650, 54, aliisque compos. eiusdem verbi, e. g. defl- p. 649, 51, infl- p. 649, 63 et vol. VII 1, 1457, 69; restit. pro refigere (-fix-) p. 649, 59.]*

i. q. retro flectere (intrans. sub II). praeverbio indicatur recessus vel motus in partem posteriore maxime sub IA (eo, unde abitum est, e. g. p. 648, 27, 67, 649, 24, 32 sqq. [cf. p. 649, 66 sqq.], iuxta flectere in descr. motus huc atque illuc facti p. 648, 36); reditus ad statum sim. meliorem,

minus gravem p. 650, 10 sqq.; reversio rei in se ipsam p. 650, 31, ad magnitudinem minorem p. 650, 21, ad originem sim. e. g. p. 650, 25, 28, 55 sqq.; conversio ordinis p. 650, 34 sqq. 45 sqq.; hic illic vix apparet vis praeverbii, e. g. l. 53, p. 650, 7, 38 sqq. 68. fere pro syn. accedunt e. g. convertere l. 30, p. 649, 59, 650, 31, 47, reprimere p. 649, 43, retorquere l. 75, p. 649, 33 (cf. p. 651, 17), revocare p. 649, 22, 51, 55, 61; disting. flectere l. 36, 66, deflectere p. 649, 24; opp. e. g. concitare p. 649, 46, incitare p. 649, 21, 54, 60, impellere p. 649, 62. graece resp. e. g. τρέπειν p. 649, 23, 26 sq., composita verbi q. e. στρέφειν, sc. ἀνα- p. 650, 32, δια- p. 650, 44, ἐπι- p. 649, 28, ὑπο- p. 649, 49.

I transitive (act. cum pron. refl. l. 65 sqq. p. 649, 47, 50, al., medio-pass. e. g. l. 20, 68 sq. p. 649, 12, absol. vel obi. suppl. l. 75, p. 649, 38):

A proprie (in imag. l. 41, 53, p. 649, 17, 24, al.), sc. cum respectu loci vel spatii: **1 spectat potius ad formam rei vel animantis (descr. metamorphosis l. 23):** **a -untur corpora animantium vel partes eorum (sidera formam serpentis sim. praebentia l. 17 sqq.):** CIC. Arat. fig. 9, 5 obstipum caput, a (a)t vix recte pars edd.) tereti cervice -xum, obtutum in cauda Vrsae maioris figere dicas ([cf. gr. 58 νεύοντι ... εἴουεν]. *de Dracone sidere inter Arctos posito ut*: VITR. 9, 4, 6 *Serpens intorta replicataque se attollens -itur a capite Vrsae minoris ad maiorem. sim. de alio sidere*: MANIL. 1, 334 respicit ... molli cervice -xus *Serpens Ophiuchi. cf. l. 51, p. 651, 8, 19*). OV. met. 5, 547 (*homo in bubonem mutatur*) amicitur in alis inque caput crescit longosque -itur, unguens, (*utrum acc. respectus, an pendet ab in praepos.?*) SCRIB. LARG. 255 (v. vol. IX 2, 730, 49) cum cervix -xa est in posteriorem partem (*morbo ut*: CAEL. AVR. chron. 5, 2, 33 ut ... digiti ... -xi supinentur eqs.). PLIN. nat. 11, 199 intestinum ... ab ore incipiens quibusdam animalibus eodem -itur (cf. *Arist. hist. anim. 524b12 ἄνω πάλιν φέρεται πρὸς τὸ στόμα*). 11, 265 canum degeneres caudam sub alvum -unt. *al.* **b -itur res**: LVCR. 4, 442 (*agitur de partibus navium immersis*) refracta videntur omnia converti sursumque supina reverti et -xa prope in summo fluitare liquore. SERV. georg. 3, 351 v. p. 521, 54.

2 spectat potius ad motum: **a quae mutatur habitus, status corporis; -it aliquis:** **a corpus suum eiusque partem (pedem vel terga -ere, i. regredi, reverti, v. p. 649, 3 sq.):** **① varia exempla:** CATVLL. 45, 10 Acme leviter caput -ens et ... pueri ... ocellos ... saviata eqs. (cf. l. 17). SEN. Thy. 711 tigris flectit hoc rictus suos, illo -it. PLIN. nat. 11, 107 (*de coitu locustarum*) in eum marem feminarum ultimo caudae -xo (cf. *Arist. hist. anim. 542a1 ἐναρμήσει ... τὸν πόρον κτλ.*). STAT. Theb. 4, 570 dextram (*acc. respectus*) ... in terga -xum *Athamantem (sim. HIER. vita Hilar. 10, 8 -xa super humeros ma n a u [SIDON. epist. 1, 2, 5 post tergum])*. AMM. 16, 12, 48 laevum -ens poplitem. GREG. M. in Ezech. 1, 7, 21 (*in imag. ad 1, 23 spectante*) pennae ... nostrae rectae iam non sunt, si ad utilitatem nostram solummodo -untur. *al.* **② -itur cervix, collum, sc. in locut:** cerviceum -ere, cervice -xus (*fort. iam apud ENN., v. l. 47 et Skutsch, comm. 1985, 783; cf. l. 17, 21, 24, 72*): VERG. Aen. 8, 633 illam lupam matrem tereti cervice -xam (-xa var. l.) mulcere alternos geminos (cf. *Serv. Aen. 8, 631* totus hic locus Ennianus est). OV. ars 3, 779 paulum cervice -xa. STAT. Ach. 1, 383 HIER. vita Hilar. 10, 9. MACR. Sat. 5, 11, 11 (*ad Verg. Aen. 3, 515*) gubernator, qui explorat caelum, crebro -ere c. debet (*postea p. 652, 8, deinde l. 66*). *al.* colla -ere: OV. ars 3, 784 effusus c. -e comis. Ps. AVG. serm. ed. Mai 1, 2 (*respic. gen. 3*) serpens inretitis lusibus sua c. -ens (*Mai, -entem cod.; antea*: revoluit orbibus replicare). CORIPP. Ioh. 2, 387 (*in imag.*) ferae gentes ... suavi ... iugo sua c. -unt (*evanida vi praeverbii, vix enim c. retro flectunt*). **③ -untur oculi, facies (cf. p. 649, 32 sqq.); c. notione: avertendi:** OV. epist. 16, 241 quotiens ... ora -xi, ne causam fletus quaereret ille mei! met. 7, 341 oculos (PAVL. PETRIC. Mart. 6, 346 a luce). SEN. Herc. f. 602 aciem oculorum. VAL. FL. 5, 454 visus. *respiciendi (cf. GLOSS.¹ I Ansil. RE 606 -xi ora: post me respexi[t])*: PRVD. ham. 733 *ne Loth pone -xo lumine ... cerneret ignes (spectat ad gen. 19, 17 sqq., ut exemplum sequens et p. 650, 3)*. SVLP. SEV. chron. 1, 6, 6 *uxor Loth -xit oculos (GREG. M. dial. 3, 17, 11 [in imag.; respic. I Cor. 7, 3] Paulus mentis oculum -it ad coniuges. in Ezech. 2, 10, 14 l. 353)*. **④ respicitur totum corpus (cf. con. p. 649, 36)**: SIL. 9, 596 *elephas vulneratus excussam ... volvens -xo pondere turrim. AMBR. in psalm. 1, 27, 2 (ad 1, 1) miles in armis non se -it, sed ... erigit (MACR. Sat. 5, 11, 12 [antea l. 49] gubernator ad austrum flectitur ..., rursus ad septemtriones vertit aspectum ..., iterum se ad austrum -it [-itur, flectitur var. ll.])*. CLAVD. 24, 331 quotiens ... -xi conspexere boves feram, quam vehebant. VEN. FORT. carm. 6, 5, 137 *mater et filia amplexae pariterque -xae (repl- var. l.)*.

β corpus alterius animantis eiusve partem: VERG. Aen. 10, 535 *Aeneas -xa cervice hostis orantis ... applicat ensem. SEN. Phaedr. 708 (loq. Hippolytus) impudicum ... caput Phaedrae laeva -xi (Tro. 47)*. APVL. met. 3, 6, 1 me ... capillo adreptum ac retro -xum. CYPR. GALL. iud. 679 *Dalila palis ... -ens (sc. crines Samsonis; cf. 675* retorquens).

